



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

I. De homicidio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

staurato, regemque de reliquis sacris ædibus (id quod valde est necessarium) compositè ornandis commo-
neto.

VI.

Qui peierarint, aut barbara factitarint sacrificia, diuinis omnibus (ni ocius resipuerint, animumque in melius emendarint) perpetuum arcentor.

P A R S T E R T I A.

P R O O E M I V M.

Ego Edmundus rex omnibus qui in ditione ac potestate mea sunt, senibus ac iuuenibus, clare significo, me a scientissimis regni mei in celebri tam ecclesiasticorum quam laicorum frequentia studiose requisuisse quo tandem pacto Christiana proueretur fides. Atque nobis omnibus commodissimum visum est, ut amorem ac mutuam inter omnes benevolentiam per omnem ditionem nostram foueamus. Etenim nos omnes harum tædet quotidianarum pugnarum, & propterea ad hunc modum statuimus:

C A P I T V L A.

I.

Si quis alium posthac interfecerit, solus cum interfecti cognatis inimicitias capitales suscipito, ni integram capitales eius æstimationem (cuiuscumque is fuerit conditionis) amicorum ope fretus intra duodecim menses persoluerit. Sin eum cognati eius pro derelicto habuerint, neque vero quidquam pendere voluerint, ipse inimicitias subito solus, ac illi pro inimicis non habentor. Ei tamen interim cognati eius victum ne suppeditanto, neve cum eo pacem habento: id quod si quis eorum fecerit, fortunis suis omnibus regi mulctator, & qui prius cognatum suum pro derelicto habuit, is iam cognatis interfecti pro inimico habetor. Atqui si alium quemcumque præter interfectorem ipsum cognatorum quisquam ultus persecutusque fuerit, is fortunis suis omnibus mulctatus, regi, & omnibus amore eum prosequentibus, pro inimico putandus est.